

tia; unde & species Prophetis sive vigilantibus, sive dormientibus oblatæ & que lucidæ ac distinctæ sunt, ut rei veritati nihil decedat, sive internam, sive externam visionem statuas. *Clarissimus Hermannus Witsius Miscell. S. Tom. I. Exerc. 1.* mavult hoc loco internam visionem; nobis vero magis placet externa, ea ratione inductis, quod Propheta v. 5. dicat: *Regem Dominum Exercituum viderunt oculi mei.* Sic Epiphanius Hæres. LXX. n. 7. p. 818. *Non mente, dixit; non cogitatione, sed oculis, unaque veram & solidam fidem statuit.* Talis itaque nostra fuit visio, quam *Josua cap. V. & Moses Exod. III.* viderunt. *Vid. Præsidis disputatio: de Duce Exercitus Domini §. 2. pag. 4.* Tanta fuit summi Numinis bonitas erga hominis infirmitatem, ut naturæ divinæ invisibilitatem representatione corporeæ conspicendiā exhiberet, quo familiariter cum vidente conversaretur, arrhamque spei nostræ daret, fore ut eum videamus. uti est *I. Job. III. 7.*

§ 5.

De tali Prophetarum visione bene *Chrysostomus* dixit *Tom. VI. p. 404.* Atque, inquit, non merum ipsi lumen intuebantur, neque sinceram ipsam substantiam, sed quedam Dei se demittentis accommodatio fuit id quod videbatur. Quid est autem accommodatio sui? quando non ut est Deus apparet; sed ut capere potest is cui videndi sit facultas: ita seipsum exhibet, pro intuitum imbecillitate visionis ostensionem exhibens. Hanc autem fuisse συγκαταβείν ex eo apparere existimat, quod in nostra visione multa dicantur, quæ a Dei natura & maiestate aliena sunt; velut quod in throno sedens conspectus sit. Nec dissimilia quæ *Epiphanius Hær. LXX. n. 7.* de ejusmodi Prophetarum visionibus tradidit: Sed Prophetæ, inquit, & Apostoli haud dubie Deum viderunt: Idque ipsum certissimum est: Sed hactenus viderunt quatenus poterant ipsi, & quantum libebat, ac quemadmodum voluit Deus, se videndum his præbuit.

A 3

Quip.